



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1778**

**VD18 90118871**

§. 11. Religionis negotium aliis in locis promotum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Catholicos inter & Lutheranos juxta Sæc. XVII.  
Cæsaris decreta fuisse servatam. A. C. 1628.

## §. XI.

*Religionis negotium aliis in locis  
promotum.*

U  
beriori fructu Religio Catholica stu-  
dio ac pietate Maximiliani Bava-  
riæ Ducis in Palatinatu Superiore re-  
vocata est, hoc anno ad Christi ovile  
quaterdecies mille ducentis quinquaginta octo reductis. Præprimis Ambergæ & Neoforii vicinisque locis omnis propemodum populus rejectis erroribus avitam veramque Evangelii doctrinam recepit, ipsis etiam pueris suos parentes, domesticosque ad ejurandum Calvinum adhortantibus, grandævorum quoque non paucis de reddita Avorum Religione lætantibus, palamque testantibus, quod fidem Catholicam animo suo semper impressam tenuerint, sectam licet exterius ob Prædicantium importunitatem professi fuissent. Reductis igitur Catholicæ fidei sacris Elector invalescentem blasphemandi consuetudinem, necnon polygamiam ex detorta Evangelii interpretatione a Calvinistis passim introductam severo edicto e tota Provincia eliminavit. Nec minore studio Catholica Religio

*Annal. Boic.  
part. 3. l. 13.*

*Carafa  
comm. de  
Germ. rest.*

Sæc. XVII. ligio Heidelbergæ, Neostadii, Germersheimii aliisque inferioris Palatinatus oppidis promota est. Hagenoæ etiam integra civitas ad Ecclesiæ gremium rediit, & Spiræ restituta PP. Dominicanorum Ecclesia, civium potissimi sectam ejurarunt. Francofordienses quoque PP. Capuccinos, & Ratisbonenses Calendarium novum admisere, necnon cum Catholicis mitius agentes, publicas supplicationes tolerarunt. Argentinenfes vero Cæsarei edicti executionem distulerunt, ne tamen illud a petulanti plebe dilaceraretur, excubias addiderunt: soli Franckendalenses suæ hæresi immortui pertinaciam suam impositis magno numero præfidiariis luerre coacti sunt.

## §. XII.

*Georgius Zeæmannus Præco-Campidunensis in custodiam deductus.*

*Lotich. ver. Germ. l. 24. cap. 2. Arnold. hist. co. Hæres. p. 2. l. 17. c. 2. §. 8.* Cum eodem ferme tempore Georgius Zeæmannus Campidunensis Præco, non modo Religionis Catholicæ dogmata, sed & summum Pontificem, Præsules ac Principes Catholicos convitiis, maledictis, & investivis per plures annos palam in suis seditiosis declamationibus scriptisque amarulentis proscidisse, suisque in libris Jesuitas pallium